

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis primo Martii 1714.

M. FRANCISCO AFFORTY, Doctore Medico, antiquo Facultatis Decano, & Chirurgiæ Professore, Præside.

An vinum aquâ dilutum, aquâ simplici, vel mero, salubrius?

I.

VITAM, quam inspirando inchoamus, & expirando finimus, nutritionis ope fovemus. Cùm sanguis, ros vivificus, sit in continuo instaurationis & perditionis motu, alimento opus est, quo tantùm reponatur quantùm discessit; ne substantiâ nostrâ præproperè diremptâ, citò concidamus: aere quidquid effluxit spirituosi; cibo quidquid solidioris; potu quidquid excidit humidioris, farcimus: aere nativus exsuscitatur calor, cibo sedatur fames, potione sitis extinguitur: Illorum una omnibus necessitas, multiplex in singulis utendi, agendi, ratio; ut enim aer differt ab aere, cibus à cibo, potus à potu; sic ab homine homo; dissimilis horum omnium status pro variâ cujusque affectione varios sortitur effectus; eventus planè diversos: indè pendet functionum alacritas, depravatio; corporis & animi vigor, imbecillitas; sanitatis (vitæ condimenti) integritas, labes; morbi (lethi fabricatoris) recessus, incubatio; ipsius tandem vitæ terminus diuturnus, brevis, incertus: sed una mors certa seriùs ocyùs manet omnes, quæ incertis diu noctuque, domi vel foris, nos vocat horis.

I I.

INELUCTABILI moriendi neceſſitati moras nectere longiores, & inſtantis à tergo fati revocare gradum, ſolùm conceditur iis, qui benè nati ad laudabilem rerum ſalubrium uſum totos ſeſe conferunt, neque peragrantis gulæ inſtigatione in ſuccos potuſque inſuetos imprudentèr inquirunt. Sitis, cujus magis urget quàm cibi præſentia, tàm ex ſalſo propriè dicto, quàm ex ſalſo lixiviali membranam fauces ſuccingentem vellicante, orianda, potûs eſt (quo ardet) deſiderium, quod ablutione factâ ceſſat : potus autem ad vitam apprimè neceſſarius dicitur liquor, qui ſitim tollit, alimenta permiſcet, permixta diſtribuit ; ejus duplex genus ; alterum ſimplex, quod nihil aliud corpori noſtro præſtat, quàm quod ipſum neceſſario humore perfundit, ſitimque adimit : alterum minimè ſincerum, cui etiam alendi medendi-ve poteſtas ineſt ; primi ordinis, una eſt aqua ; poſterioris, vinum ; aquæ metallicæ, potus arte facti.

I I I.

AQUA, quaſi ſit à quâ omnia quæ è terrâ naſcuntur originem habent, nutriuntur, foventur, conſervantur, rerum eſt omnium principium : in varias diſtinguitur ſpecies & qualitates, pro ratione loci ex quo defluit, & mutatione illius ad quem decurrit. Nulla eſt pura, ſimplex, ſed omnis quid habet heterogenei, & quâdam vi pollet alterandi : quò tamèn clarior, eò purior ; quò purior, eò ſalubrior. Aquarum princeps fontana, quæ per terræ meatus & cryptas preſſionis beneficio tranſcolata, ex limpidâ versùs orientem ſcaturigine inter lapides & ſaxa tandèm erumpit ; hæc, licèt novis in terræ viſceribus, mineralium & metallorum linctu imprægnetur ſuccis, minùs tamèn inimicis referta particulis, poſitâque acredine, meritò cœteris anteponitur. Ab eâ deflectit fluvialis, quæ aliis undequaquè concurrentibus aquis obvia, partes etiam limoſas excipit, & longiori quem emetitur curſu terreſtres lambit ex ripis, ſordes ac purgamenta vehit, præſertim ubi populoſas urbes alluit, ac ſæpè infenſis quorumdam (quibus exponitur) ventorum qualitatibus inficitur : pluvialis laudatur à multis, forſan quia levior, maximè ubi æſtate, Jove tonante, colliſis fractiſque nubibus decidit ; ſed quoniàm ex omnis generis vaporibus Solis calore ſursùm elatis quaſi per diſtillationem gignitur, Empireuma contrahit, citò fermenteſcit, citiſſimè corrumpitur, & pediculos inge-

nerare creditur. Putealis minimè probatur, quatenùs immota, cruda, ægrè ſecedens, nec facilè à ſtomacho ſubigenda : nivalis, glacialis, procelloſa, grandinoſa, ut minùs elaborata, & expreſſis tenuioribus particulis concreta, durior evadit, craſſior, deterior : lacuſtris & ſtagnans, ſivè torpeat, ſivè pigro lapſu repat, impura, tandèmque livida, & pernicioſa. Qualiſcunque, ut in ſalubriorem faceſſat potum, neceſſariâ non minùs quàm utili indiget emendatione, quâ nulla ſuperior, quàm ex idoneâ vini, tanquàm antidoti præſtantioris admixtione.

IV.

VINUM, vegetantium nobile decus, ſanguis terræ, ſuccus eſt ex maturis calcatiſque uvis expreſſus, fermentatione defœcatus, ſpiritu volatili ſulphureo & ſubtili acido conſtans, quorum varietas inæqualiſque mixtura varias aſſignant vino facultates ac differentias; quamquàm hæ ferè petantur à colore, odore, ſapore, conſiſtentiâ, viribus, ætate, natalique ſolo. Sua ſunt Gallis vina, Græcorum Romanorumque Falerno non ceſſura; Burgundiacum, Vaſconium, Aurelianenſe, Irancianum, Aiſanum, & Pariſinum, quæ cùm ſint colore, conſiſtentiâ, & viribus media; ità cœteris præferenda. Si potetur merum, maſſicus ille liquor, arcani proditor, quo forma perit, & ætas corrumpitur, graviora quàm aqua ſimplex infert potatoribus damna; vis ejus volatilis ſulphurea ſpiritus animales in motus inordinatos concitat; ſulphureaſque mephytes, cephalalgias, furiales ſomnos, vigilias, ſcabritiem linguæ, labrorum ſiccitatem, ſitim, bilem, ſanguinis effervſcentiam, & febrile incendium accerſit: ſubtile acidum non benè moratum, nec in ſalſum volatile intùs converſum, in ſtomacho, ructus fœtidos morboſoſque flatus eructante, cruditates turbaſque parit; colica in inteſtinis tormina, ſtrangurias in veſicâ, calculos in renibus, aquationem in abdomine, in artubus paralyſes, tophos in articulis, in nervoſis ac membranoſis partibus puncturas arthriticas & contracturas conſequitur. Tot ac tantis felix occurrit incommodis, qui ſobriâ meri cum aquâ ſimplici potione ſeſe proluere, & fauces arentes, ut decet, aſpergere noverit.

V.

MERUM aquâ ſimplici dilutum intùs & in ore ſua diſpenſat dona: ex legitimâ utriuſque affuſione fit calidi vinoſi cum frigido aqueo, ſicci cum humido laudabilis attemperatio: ſuam in mero

cruditatem insipidam deponit aqua; suam in aquâ masculam luxuriem moderatur merum; indè fit potus gustui gratus, stomacho non injucundus, universo corpori familiaris, omnium saluberrimus; qui facilè penetrat; partes solidas ad triturationem (si opus est) flectit; fluidas ad motum & ad fermentationem adducit; ciborum appetentiam, coctionem, distributionem, & excrementorum dejectionem promovet; viscerum infarctus deturbat; placat alvi perturbationes; dissipatos spiritus colligit; commotos coercet; torpidos erigit; spissiores etiàm corporis succos attenuat, concretos solvit, tenuioribus modum adhibet; sitim extinguit; bilem compescit; sudores & urinas ciet; curas diluit; vires, sanguinem, & colorem alit; à putredine vindicat; & in febribus nonnunquàm alexyterii vices adimplet. Hoc tandèm suavioris potûs genere salubritati, longævitati, posteritati, consulitur.

Ergo vinum aquâ dilutum, aquâ simplici, vel mero, salubrius.

Proponebat Parisiis PETRUS AFFORTY, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1714.

Typis JACOBI QUILLAU, Universitatis, & Facultatis Medicinæ Typographi.